



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 4. Episcopi in tres classes circa residentiam divisi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. IV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

*Episcopi circa residentiam in tres
classes divisi.*

Jam omnes hæc tres sententias per- *Pallav. c. 4.*
cipiamus eo tenore, quo in Patrum *num. 3.*
Conventu die undecima Decembris fe-
ria sexta celebrato a Virodunensi Epi-
scopo fuere propositæ.

Inter alios, inquit ille, *sententiam Nicol. Psal*
dixit Petrus Antonius de capua Neapo- *aff. Concil.*
litanus, Archiepiscopus Hydruntinus, cui *frid. part. 2.*
decretum non placuit, nam inprimis Epi- *pag. 351.*
scopi non sunt præmiis, & gratiis ad re-
sidentiam invitandi, causas absentie hic
inferendas non censuit, nec imponendam
esse pœnam peccati mortalis Episcopis non
residentibus, insuper gravamina a Prin-
cipibus secularibus illata Episcopis propo-
sunt, quibus adhibendum esset remedium,
neque videri sibi, ajebat, aliquid de Episco-
porum residentia tractandum, cum ea de re
tractatum sit in eodem Concilio tempore
Pauli tertii, & non ita pridem Pius
quartus constitutione sua tractaverit, &
satis docte dixerit. Ceterum Petro Guer-
rero Archiepiscopo Granatensi omnino de-
cretum non placuit, quod si placuisset,
sententie illustrissimi Cardinalis Lotharin-
gii subscripsisset, cum ex eo deduci posset
residentiam Episcoporum juris esse humani.
Sic hic Præsul præterit remedium aptissi-
mum

Sæcul. XVI. A. C. 1562. mum ad cogendum Episcopos personatim
 residere, quod est tale, ut Synodus i-
 tuat residentiam Episcoporum personam
 esse de jure divino præceptam: unde præ-
 cluditur via his, qui justis de causis præ-
 textunt se non residere, nam ex non resi-
 dentiis nascuntur omnia incommoda, &
 hujusmodi non residentia est origo, & ri-
 dix omnium malorum: itaque Deus, ut
 mitteret operarios in messem suam roga-
 dus esset, & simpliciter esset statutum
 residentiam juris esse divini, nisi casus oc-
 curreret, in quo Romanus Pontifex pos-
 set justa de causa excusare, sic non in-
 ventur tot dispensationes de non resi-
 do, quæ merito dici debent dissipationes,
 unde Bernardus ait: dispensare, est po-
 tentes infernum intrare.

Præterea sibi visum fuit, parvam de-
 gratiam Papæ, qua liceat Episcopos ab-
 solvere a casibus reservatis, præterquam
 his, qui habentur in Bulla in Cæna Do-
 mini, qui cum sint multi, vellet, ut res-
 cessio hujusmodi esset liberalior, ut & Epi-
 scopi ab hujusmodi casibus absolventur,
 alias vix fieri poterit, ut quisquam petat
 aut mittat Romam ad petendum absolu-
 tionem, tantum abest, ut pecuniam aliam
 quam det.

Postea Joannes Baptista Castanensis
 Romanus, Archiepiscopus Sossanensis a me-
 ridie dixit inter causas absentiae, panca
 de

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

de visitatione liminum, ad quam omnes tenentur Episcopi: porro Ludovicus Becatellus, Bononiensis, Archiepiscopus Rugosinus, pius admodum, dixit residentiam partem esse reformationis, & omnino residendum Episcopis, & Curatis, & ad id eos compellendos per pœnas, non tantum spirituales, sed corporales. Præterea Hadruntinus admodum eloquenter disseruit, perinde ac si orasset, nempe causam omnium malorum, & calamitatum esse absentiam, & pastorum negligentiam.

Bartholomæus de Martyribus, Lusitanus Ordinis Prædicatorum, vir Religiosissimus, inquiebat, residentiam esse Verbum illud abbreviatum, quod fecit Dominus, & præcipi de jure divino; necnon multa attulit de abusibus suce Diœcesis, Episcopatus nempe Braccarensis, & declaravit quod providendum esset, ut etiam Canonici Cathedralium cogerentur ad residendum personaliter in suis beneficiis.

Philippus Mocenicus, Venetus, Archiepiscopus Nicolienis, Regni Cypri Primas, & Legatus natus, postea perorare parabat, verum ad alteram diem, quæ erat Sabbatum seu dies duodecima ejusdem Mensis, Sessio fuit remissa: nihilominus idem Episcopus eadem die paucis verbis dixit: quia jubentur Episcopi residere, tollantur

Hist. Eccles. Tom. XLV. Rr im-

Sæcul. XVI. A.C. 1562. *impedimenta, quæ a Principibus Secularibus inferuntur.*

Germanicus Bandinus Senarum Archiepiscopus, voluit mentionem fieri in decreto, de juramento præstito in Consecratione, quod sint visitaturi lumina Apostolorum. Caspar de Fosso, Constantinus, vir bonus, Ordinis Sancti Francisci de Paula, Archiepiscopus Regius, visus est concionari, atque defendit, quod Residentia non modo necessaria, sed personalis esse debeat, sed non continua, nam præcepta affirmativa semper obligant, sed non ad semper, jam vero præceptum residentie est affirmativum: igitur pro loco. Et pro tempore fas est Episcopo abesse, prout dixit Cardinalis Lotharingus: potest autem quis abesse utpote a Papa, cui parere nos oportet, ratione consilii vocatus, vel a Principe, Et etiam ratione agritudinis: sunt enim, qui si sex menses residerent, morerentur ob loci intemperiem.

Archiepiscopus Pragensis, qui supra dixit disputatum esse diutius de residentia, sed sine fructu, Et non sine scandalo, cum hic non agendum foret de residentia tantum, sed petenda esset reformatio vera, Et realis, ut jam petierunt oratores: quod vero ad residentiam attinet, eam declaravit summopere necessariam, nam id testari possunt Ecclesie, in quibus Episcopi non resident: his addidit: cum Episcopus de necessitate juris divini teneatur ad regendam Ecclesiam.

Et cu-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Et curam animarum exercendam, hinc eodem jure adstringitur ad medium, sine quo ejusmodi cura exerceri non potest, scilicet ad residentiam, cum maxime obligentur reddere rationem ovium in die judicii, dum vero imponitur Patribus necessitas residendi, propterea non volumus ligare manum summi Pontificis, nec etiam declaramus, quod Episcopus abesse non possit pro commodo Ecclesie, cum sit præceptum affirmativum, quam in rem allegavit D. Bernardum in Epistola 131. ad Mediolanensis: dein vero sic prosequabatur: initium decreti, quo dicitur jure divino nos teneri ad rationem villicationis reddendam, non placet, cum sit nimis universale: circa causas vero absentie, quantum prodest quandoque Ecclesie, ut Episcopus sit alicujus Regis Consiliarius, norunt ii, quibus negotium est cum Principibus: ubi autem agitur de Principibus, hic videmus, nos Principibus esse subditos, quod libenter admitterem, nisi quandoque essent hæretici: porro Penitentias promereri, hæc quam male sonent in auribus multorum alii videant? quod videlicet Episcopi teneantur ad residendum, Et residenti- bus præmia dentur, quasi aculei, Et calcaria: ceterum non placuit de casibus in Bulla reservatis, cum vix Papalis casus reperia- tur, qui non ibi contineatur, propterea non est de dignitate Synodi, ut roget, Et hor- tetur Principes, sed suo potius uti debet offi-

Rr 2

cio

Sæc. XVI
A. C. 1562.

cio & illis statuere sub excommunicationis
pœna, tandem de publicatione hujusmodi
Decreti, non placuit, uti nec Cardinali Le-
tharingio.

A meridie verba fecit Leonardus Ma-
rinus, Genuensis, Ordinis Prædicatorum,
Archiepiscopus Lancianensis, qui in retorica
duo agebat, quo me vertam nescio? inter-
rim dum hic terimus tempus, lupus rapit,
& dispergit: ecquidem sunt, qui dicant re-
sidentiam juris esse divini, alii vero humani,
ac quidem nolunt leges sibi imponi ad resi-
dendum, cum non sint filii servitutis, &
timoris, sed dilectionis: porro hic Prae-
fuit in sententia, ut omnino tuenda esset
lex de residentia, quæ tam est necessaria,
ne dicatur nobis, oves meæ dispersæ sunt,
quia non erat pastor: Dominus ait ad
Zachariam, finge te pastorem, & ecce ego
suscitabo pastorem, qui derelicta consolida-
bit, ceterum ubi idem describit conditio-
nes pastoris stulti, deinde exclamat; o pas-
tor & idolum? perinde est enim habere pas-
torem absentem, & idolum, dum dormi-
mus, diabolus seminat zizania, nunc vidi-
mus Regnorum magnam vicissitudinem, ut
in Gallia, & propterea omnes peccavimus.
His dictis sic pergebat: causæ absentia
placent, nec claudendum est ostium Episcopatus
clausula tamen de visitandis liminibus, in
decreto inserenda non est, licet hoc juramen-
tum non sit inutile, nempe ad unitatem, &
pro-

profitendam fidem nostram. Ceterum Lan-
 cianensis Episcopus non erat in sententia co-
 rum, qui dixerunt unicum esse remedium, ut
 dicamus residentiam esse juris divini, cum
 hoc nihil prodesset. Quintius de Rusticis,
 Romanus, Episcopus Milletensis, scripto
 tenus suam mentem aperuit, atque inprimis
 petiit per Papam provideri pauperibus Epi-
 scopis, qui non habent, unde vivant in Epi-
 scopatibus. Alexander Piccolomineus, Se-
 nensis, Episcopus Pontinus, utrumque di-
 xit, non stare per Episcopos, quominus
 Residentia non servetur promissa per Papam,
 tam ex parte Pontificis, quam Laicorum
 &c. Jacobus Suretus, Græcus, Episco-
 pus Milopotamensis, Ordinis Minorum
 Sancti Francisci, ajebat residentiam esse
 necessariam, jureque divino naturali, &
 humano præceptam. Ceterum de colla-
 tione beneficiorum nil in medium attulit,
 ne in causa propria jus dicere videretur,
 sed hic adhibendum remedium, cum ex ea
 tanquam pandora nascantur omnia incom-
 moda. Die Dominica, decima tertia non
 interfui capellæ propter Concionem hispa-
 nice habitam apud divum Bernardinum,
 a Reverendissimo Segabricensi Episcopo,
 Joanne de Munnatones, Ordinis Sancti
 Augustini, deinde pransus apud Pragensem,
 cœnavi apud Cardinalem Madrutium, cum
 Reverendissimo Lotharingio, & Episcopis
 Gallis. Die lunæ decima quarta ejusdem

Rr 3

Men-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Sæcl. XVI.
A. C. 1562

Mensis Decembris, dixit Octavianus Perconius Ordinis Minorum Sancti Francisci, Archiepiscopus Panormitanus, Residentiam omni jure necessariam sed in Decreto non apponendum jure divino. Scipio Bongallus, Romanus, Episcopus civitatis Castellane, excitavit risum, dum Cardinalium laudes declamavit. Angelus Masarellus Septempedanus, Episcopus Thelesinus docte peroravit. Gabriel de Boverri, Gallus, Episcopus Andegavensis, ex seipso protulit sententiam postulans residentiam declarari, esse de jure divino. Leonardus Daller, Germanus, Episcopus Philadelphiensis, proposuit gravamina Episcopi Aistetensis, Domini sui.

Die Martis decima quinta, Egidius Falcetta Cingulanus, Episcopus Capranus, his verbis usus: cum hic agitur de residentia, nulla de ea fit mentio in decreto; itaque precipiendum, ut residentiam & munia Apostolica per se obirent. Ceterum pence, ut non residens inhabilis recederetur, eidem non probantur, ne gratia retur provisus: neque illi placuit reatu peccati, nec absolutio Pontifici reservata cum de reservationibus conquerantur Petres. Julius Contarenus, Venetus, Episcopus civitatis Bellunensis docte admodum dixit, & ad reformationem hortatus est. Thomas Cæsellus, Rossanensis. Ordinis Prædi-

Prædicatorum, Episcopus Cavensis in il- Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
los Synodi Patres, qui residentiam esse
juris Divini contendebant, insurgens vo-
luit decretum sub Paulo III. in Concilio
conditum esse observandum, dixitque non
esse ex Synodi dignitate, ut iterum de
residentia agatur; quod etiam gratiæ con-
cessæ residentibus per Constitutionem Pii IV.
nuper editam, essent hic insertæ.

§. V.

Cardinalis Lotharingius apud Gual-
terium de Papa conquestus.

Interea Hispani nil intentatum relin- Pallav. c. 2.
num. 4.
 quebant, ut ad sua consilia Lotha-
 ringium Cardinalem pertraherent, prout
 ipsemet quoque Gualterio narrabat,
 subjungens, quod Pibracus Orator a
 Gallica aula reversus nova secum de-
 tulisset mandata, quæ certe summo
 Pontifici molestiam crearent; Galli e-
 nim indignantur conditiones, sub qui-
 bus Papa per Nichettum Abbatem cen-
 tum aureorum millia in Franciæ sub-
 sidium Regi submiserat (*) nihilomi-
 nus

Rr 4

(*) Olim Papa indignationem incurrebat,
 quia Annatarum subsidia exigebat, quæ tamen
 remisit, nunc vero molestatur, quia centum
 aureorum millia in subsidium subministrat. Quid
 denique Pontifex agat, & quid potuit facere,
 quod non fecit?

Vermis